

Leistungskurs Bayern 1994

Nütze deine Zeit!

(Sen. dial. 10,1 f.)

Seneca legt dar, daß ein sinnvoll verbrachtes Leben von seiner Dauer unabhängig ist, die meisten Menschen aber ihre Zeit vergeuden:

Non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. Satis longa vita est et in maximarum rerum consummationem large data, si tota bene conlocaretur (1). Sed ubi vita per luxum ac neglegentiam diffluit, ubi nulli bonae rei impenditur, ultima demum necessitate (2) cogente eam, quam ire non intelleximus, transisse sentimus.

Ita est: Non accipimus brevem vitam, sed facimus, nec inopes eius, sed prodigi sumus. Sicut amplae et regiae opes, ubi ad malum dominum pervenerunt, momento dissipantur, at modicae, si bono custodi traditae sunt, usu crescunt, ita aetas nostra bene disponenti multum patet.

Quid de rerum natura querimus? Illa se benigne gessit: Vita, si uti scias, longa est. At alium insatiabilis tenet avaritia, alium in supervacuis laboribus operosa sedulitas; alius vino madet, alius inertia torpet; alium defatigat ex alienis iudiciis suspensa semper ambitio, alium mercandi praecepta cupiditas circa omnes terras, omnia maria spe lucri ducit; quosdam torquet cupido militiae, numquam non aut alienis periculis intentos aut suis anxios; sunt, quos ingratus superiorum cultus (3) voluntaria servitute consumat; plerosque nihil certum sequentes vaga et inconstans et sibi displicens levitas per nova consilia iactavit; quibusdam nihil, quo cursum dirigant, placet, sed marcentes oscitantesque fata deprehendunt, adeo ut verum esse non dubitem, quod apud maximum poetarum more oraculi dictum est: „Exigua pars est vitae, qua vivimus.“ Ceterum quidem omne spatium non vita, sed tempus est.

Urgent et circumstant vitia undique homines nec resurgere aut in dispectum veri attollere oculos sinunt, sed mersos et in cupiditatem infixos premunt. Numquam illis recurrere ad se licet. (244 Wörter)

-
- | | | |
|-----|-------------------|------------------------------------|
| (1) | conlocare | hier: verwenden |
| (2) | ultima necessitas | hier: der Tod |
| (3) | superiorum cultus | Ergebenheit gegenüber Vorgesetzten |